

DISSERTATIO IN AVGURALIS PHYSICO-MEDICA 26.  
DE  
EBORE FOSSILI SVEVICO HALENSI

FAVENTE SVMMO NVMINE  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
ACADEMIÆ ET FACULTATIS MEDICÆ SENIORE  
PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES LEGITIME IMPETRANDI


D. 12. Jan. Anni MDCCXXXIV.

PVBЛИCE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS BEYSCHLAG

HALA SVEVVS.



Liebest. Plat.

Rudiger delin.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typ. Jo. Christian Hilligeri, Acad. Typogr.

EBORÆ FOSSET SÆVICQ. HALENSI  
DOMINI CCCC. LXXXVII. MONTH JANUARY DAY XXVII.



SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERÆ REIPUBLICÆ,  
HALÆ SVEVORVM  
EST,  
VIRIS ILLVSTRBVS, MAGNIFICIS, EXCEL-  
LENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AM-  
PLISSIMIS, PRUDENTISSIONIS  
DOMINIS  
**CONSVLBVS**  
**QVINQVE VIRIS**  
**CONSILIARIIS**  
CETERIS QVE  
QVIBVS  
REIPUBLICÆ SALVS CVRÆ  
CORDIQVE EST.

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERIA REIPUBLICÆ

PATRVM CONSCRIPTORVM MEMBRIS  
SPLENDIDISSIMIS, SPECIA-  
TISSIMIS

DOMINIS MOECENATIBVS  
AT QVE  
PATRONIS SVIS

SEMPER GRATIOSIS, SVMMOQVE VENERATIONIS  
CVLTV SVMISSE PROSEQVENDIS  
SPECIMEN HOC IN AVGVRALE MEDICVM  
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA  
DAT, DICAT, ET DEDICAT

TANTORVM NOMINVM  
OBSEQVIOSISSIMVS

AUCTOR.

REIPUBLICÆ SYLVAS CARÆ  
CORDIOLAE EST.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-  
MEDICA  
DE  
**EBORE FOSSILI SVEVICO**  
**HALENSI.**  
**PRAEFATIO.**



Eum in latebris etiam subterra-  
neis mirandum, venerandumque  
operosa præbet natura: & quæ in  
sacris revelata legimus paginis; non  
raro ex imis terræ visceribus confir-  
mari deprehendimus. Prolixum  
nimis foret, amplis argumentis hanc  
corroborare thesin, & sufficiet, si paucis duntaxat mon-  
strarerimus, non pauca diluvii universalis documenta,  
in terrarum reperiri gremio. Totum, quod sumus  
rerum opifex condidit, universum, triplici potissimum

A 3

creatu-

creaturarum ordine; minerali videlicet, vegetabili, & animali compositum esse, neminem latebit: nec quenquam fugiet, cuivis ordini seu regno, suos terminos posuisse Numen tam certos, ut illos absque ipsius vita ac naturae destructione transfire neutquam liceat. Metalla, & quæcunque minerali regno accensentur, tam fixam in terra penetralibus obtinuerunt sedem; ut illa egressa, vitam, si sic loqui licet, ac vegetationem suam amittant. Et qui animali regno tributi sunt fines, aereotantum, & aquo includuntur elemento: quo relicto, non nisi mortua, vel saltē morti destinata, mineralium domicilio, quod terrarum abyssus præbet<sup>1</sup>, insinuantur cuncta animalia: si talpas, lumbricos terrestres, & quædam insecta, superficiem terræ duntaxat perreptantia, exceperis. Verum enim verbo contra has naturae leges, profundissima terrarum loca plena sunt animantium ossibus, & non raro talium, quæ, dum vivunt, in remotissimis aluntur regionibus, atque jam ab animali mollitie, in lapideam ac mineralem transierunt naturam. Nostra Germania nec Elephantes, nec marina fovet conchilia: quot vero sunt horum animalium, quæ vel in toto, vel in partibus, ex profundo nostrorum locorum eruantur. Testantur id naturae curiosorum musea, ejusmodi subjectis rarioribus plena; rerumque naturalium scriptores calculum addunt. Unde vero tanta peregrina, tantaque fere monstra ex diffitis Indiis, ac remotissimo Pelago, ad imos nostræ terre abyssos, quibus vix hominibus accessus datur, devenerunt? Hæc profecto, maximeque marina conchilia, clarissimo sunt argumento, terras olim magnam inun-

inundationē passas fuisse; non superficialem: repugnat enim altissimus effosorum animalium situs; nec particularem, refragatur enim eorundem præsentia, in cunctis fere regionibus obvia: sed universalem, profundam, stupendamque. Hanc suggerit naturæ scrutinium, ignarum quale illud fuerit diluvium: sacræ vero litteræ idem describunt ample. Et ex censu horum animalium, ad terræ cavernas damnatorum occurrit quoque sic dictum ebur ac unicornu fossile: de quo, seundante summo Numine jam agere constituimus, Nostro enim instituto præbuit occasionem, uberior, quam hujus fossilis Hala Suevorum suppeditavit, copia: cuius historiam, quantum nobis innotuit, paucis præmittemus.

### HISTORIA EBORIS FOSSILIS, HALÆ SVEVORVM REPERTI.

**H**ala Suevorum, urbs in angusta valle, quam altissimi montes, densæque sylvæ undique cingunt, sita, atque super solo, salino liquore perfuso exstructa, (unde etiam sal commune ibidem coquitur, cuius natum D. Lic. HEFFELMEYERVS diss. Aldorfii Noricorum, anno 1731. habita explicavit) non raro multam unicornu fossilis, ex imis terræ cavernis eruti exhibuit quantitatem. Sic annales significant, anno post Christum natum 1494. cum ad ædificandam curiam, terra insigni altitudine perfoderetur, cornu tale maximum, longumque sine ramis fuisse repertum: cuius meminerunt JOANNES LAVENTIVS BAVSCH tr. de unicornu fossili pag. 180. & CRVSIVS annal. suev. Lib. 9. pag. Dein-

3. c. 5.

Deinceps anno 1605, haud procul ab urbe in valle quadam, quæ binos pagos, *Neunbronn & Hochstadt* dictos distinguit, erutum e terra fuit cornu quoddam, ingentis magnitudinis. Fidem fere superat, si dixerim, illud pondere suo, quinque centenarios omnino superare: at publicis testimoniis fultus, hoc asseverare possum: siquidem illud, ferreis inclusum vinculis, adhuc hodie Halæ, in templo, quod S. Michaeli sacrum est, omnium intuentium oculis patet: & in adjecto icone ad vivum delineatur. Huic cornui hæc appensa est inscriptio:

Lausend Sechshundert und Fünff Jahr,  
Den Dreyzehenden Februarii ich gefunden war,  
Bey Neunbronn an dem Hällischen Land,  
Am Bühler Fluß zur linken Hand,  
Sant grossen Knochen und lang Gebein,  
Sag Lieber, was Arth ich mag seyn.

Ceterum intus est cayum, sensim recurvum, anterius acutum, & colore subcinereo ossa æmulatur, quæ ex agris passim eruuntur: de quo inferius agemus, quorum pertineat.

Neque vero hodie solum Halense hisce caret fossilibus: namque prope urbem est todina, quæ coctoribus laterum præbet limum, illis conficiendis aptum, ex albo rubicundum. Altitudo illius sex virorum superat longitudinem: dicto autem limo intermixta deprehenduntur varia ossa alba, cinerea, friabilia, magnorum animalium, nostris locis inusitatorum; nec non multa ligna petrefacta; integræ arbores, & permulta unicornu fossilis fragmenta. Hæc proxime ambit arena,

atta-

attactu gelidissima, illisque firmiter adhaerescit: sub terra sunt ponderosissima, & super fornace deposita, ligno sunt leviora,

Ad hæc non ita pridem nova, sed tristissima, ebur hoc in Halensi solo reperiundi, sese obtulit occasio. Postquam enim anno 1728. mense Augusto, urbs ista gravi incendio, quod per hominum memoriam, exceptis levioribus, ab urbe condita tertium est, ultra tertiam partem deslagrasset; & posthæc in eo essent cives, ut inter alias, communes exstiquerent ædes, conventibus publicis tributas: adparuit inter ruinas in profundo terra, ad altitudinem sedecim cum dimidio pedum perforata, limus rubicundus, qui siccatus, & elixatus sal nitri suppeditavit. Cum hoc ingens copia dicti unicornu fossilis, levis, ex albo cinerei, atque friabilis, non modo in minoribus frustulis, sed majoribus quoque effossa est; adeo ut unum, quod tamen neutram integrum erat, longitudine septem cum dimidio pedum, crassitie duodecim digitos exploreret. Et hæc est historia eboris fossilis, Hala Saxonum vacua est dictis fossilibus, quorum quamplurima, & varii generis ossa, cornua, dentes, diversorum animalium, in illustris PRÆSIDIS Museo exstant, quæ maximam partem in Halæ confiniis reperta sunt. Cum primis inter ea magnitudine reliqua superat dens quidam elephanti, duodecim librarum pondus æquans, quem verbis Excellentissimi SCHVLTZII, prout in *Commerc. Litter. Norimb. anno 1732. pag. 405.* se habent, sic describimus: Dens ille, omnibus genuinitatis signis conspicuus, ex lapidicina Esperstadiensi est erutus. Pugus hic est tribus horis bing

Hinc distans, in via illa, que Querfurtum dicit, comitatu Mansfeldie adscriptus. Ceditur ibi lapis calcarius, ad marmor gryseum accedens, cuius multus usus est ad pavimentacionem sternenda, & scalarum gradus construendas. In medio talis saxi, ad viginti pedum profunditatem, repertus hunc fuit; sed quod dolendum, ab incautis operariis in tria frusta contractus prodit: duas ulnas aequant juxta se posita fragmenta: anterior tamen, que in apicem obtusum excurrit, porro, acquiri non potuit; interim conjectura est, illam ad minimum ulne quadrantem aequare debere. Ipsum ebur temporis diuturnitate, & aquarum calcariarum virtute, ita molle, & fragile redditum est, ut facilis negotio comminui possit. Propterea Vir Illustris, circulus, ex orichalci lamellis circumducis illud muniri curavit. Prope ipsum inventa sunt alia ossa, sed diuturnitate temporis tam fragilia facta, & ab operariis tam male comminuta, ut qualia sint, disjadicari non possit: melior tamen fortuna fuit dentis alicujus, quem molarem puto, qui satis integer allatus est, & cum reliquis asservatur, Ecce Hæc fossilia nobis occasionem dederunt, de his, specialiter ebore fossili, paulo prolixius agendi; quod Numen ex alto secundet.

## §. I.

**D**iversa sunt, quibus hoc fossile insignitur, nomina; & ex his præcipua, unicornu fossile, ebur fossile, & spodium fossile. Ratio cognomini, quo fossile dicitur, facile patet; quoniam nempe non habetur, nisi ex profundo terrarum effodiatur. At ebur nuncupatur, quia colore ac figura verumi ebur, seu quod idem est, dentem elephantinum apprime æmulatur; atque a non paucis non sine ratione pro-

pro ipso elephantorum dente, inter universale totius mundi diluvium, a fluctuantibus aquis, ad terræ interiori latibula demandato habetur. Vnde etiam Spodii nomen derivatur. Spodium enim, licet generatim cinerem, cum primis metallicum denotet; strictiori tamen significatu, indicat ignis tortura calcinatum ebur. Quum vero fossile ebur, plerumque calcinatum ac friabile recuperatur; inde vocatur spodium.

§. II.

Hæc itaque duo nomina naturæ rei omnino convenire videntur: at tertium, quod unicornu audit, respectu originis, vulgi fabulis, fragmentisque debetur. Dicunt enim, fossile nostrum, si æmuletur cornu, nihil esse nisi cornu istius animalis, quod rarissimum dicunt, unicornem vel Monocerotem, ein Einhorn, olim ab ipso vel deciduum, & in terræ abyssum sepultum, vel in diluvio hinc inde submersum. Si consulamus historiæ animalis scriptores; quatuor in iis recenseri deprehendimus animanicum terrestrium unicornium genera. Primum est Rhinoceros, qui cornu reflexo, & adunco prædictus, hostisque dicitur elephantorum. Conf. PLINIVS hist. anim. L. 8. cap. 20. Alterum sunt boves Indici, conf. idem PLINIVS cap. 2. Tertium asini Indici, de quibus legas ARISTOTELEM hist. anim. Lib. 2. cap. 1. ÆLIANVM de anim. Lib. 4. cap. 52. & quartum deinde est Origes, seu capræ genus; cuius meminit, BARTHOLINVUS tr. de unicornu p. 65. De horum existentia, nullum est dubium, si scriptoribus fides haberi potest, non auritis solum, sed etiam oculatis testibus: quod autem Monocerotem, seu Vnicornu ~~mar'~~ dictum

dictum attinet; varia quidem de ipso narrant antiquiores, sed quivis eorum peculiarem, & ab alio diversam suggerit descriptionem, meram fere olentem fabulam.

### §. III.

Cum primis ridicula sunt, quæ Hebræorum magistri de hac fera, Monocerote, perhibent. R. *Juda* in libro *Rabba* refert, illam tantæ conditam fuisse magnitudinis ut a Noacho arcæ suæ includi nequiverit. R. *Jacobi* in Comment. ad Ps. 22. v. 22. narrat, Davidem paucando forsan gregi intentum in unicornem dormientem ascendisse; cum corporis & cornu vastitate, montis specie delusus esset. Interea, dum excuslo somno levaretur Monoceros, perterritum Davidem, fera quam montem crediderat, insidentem, versis ad Deum votis, templum ejus longitudinis, quam cornu Monocerotis æquabat, centum videlicet cubitorum, serio vovisse, si præsenti eriperetur periculo. Deum precibus annuisce, & in terrorem Monocerotis immisisse leonem; unde ita increvisse timorem Davidis, ut exclamasset: *Salva me Domine ex ore leonis;* & a cornibus unicorium eripe me.

### §. IV.

Forsitan hæ, similesve Judæorum traditiones, ansam præbuere tot de Monocerote commentis. Si vero scriptores rerum naturalium evolvamus; occurunt multi, qui dictæ bestie existentiam defendunt, formamque describunt. Ex horum numero sunt SOLINVS *Polyhist.* cap. 55. PLINIVS *nat. hist.* Lib. 8. cap. 21. Aelianus *Lib. 10. de animal.* cap. 20. Et *Lib. 17. cap. 44.* ISI-

ISIDORVS Lib. 12. Erym. cap. 2. GARCIAS AB HOR-  
TO Lib. 1. arom. hist. cap. 14. & LVDOVICVS VAR-  
TOMANNVS Lib. 1. navigat. cap. 18. qui se ipsum duos  
vidisse adfirmat. Verum ob plane variam, quam exhibe-  
nt, hujus animalis descriptionem, vero omnino si-  
millimum est, auctores istos nunquam nec viyum, nec  
mortuum vidisse istud. Quare non pauci quoque de  
ejus existentia dubitarunt, quos inter MERCVRIA-  
LEM 11. de febribus Lib. 5. PARÆVM Lib. 20. cap. 39.  
SACHSIVM in Monocerol. pag. 38. allegasse sufficiat. Quic-  
quid autem sit; cum ab omnibus Monocerotis cotnu  
colore nigrum describatur; illud vero fossile, quod ex  
terris eruimus, album sit ac subcinereum, certa sequi-  
tur conclusio; hocce fossile, neutiquam pendere a sic  
dicto Monocerote.

Nihilo tamen minus haud statuerem, inane Mond-  
cerotis esse nomen, nec ulli animalium competere; sed  
facio eum aliis auctoribus, qui experientia multiplici  
fulti, & tanquam *avrora* testes, affirmarunt, mono-  
cerotem, animal & monstrum esse marinum, balenarum  
genus, in Grænlandico mari reperiendum. id quod  
OLAVS MAGNVS Lib. 21. cap. 10. THOMAS BAR-  
THOLINVS hist. anat. Lib. 4. cap. 4. ac tr. de unicornu  
pag. 64. TVLPIVS Lib. 4. obs. med. cap. 59. & SACH-  
SIVS Monocerol. pag. 26. seqq. attestantur, & ipsam ani-  
malis anatomiam suppeditant. Huius animali assignant  
cornu longissimum, mucrone acuto præditum, rectum,  
durum, cavum, tamque album, ut nitidissimo ebori vi-  
deatur simillimum. Jam vero ex effossis unicornibus ea,

B 3

quæ

quæ olim celebriora fuerunt, veluti Dionysianum, Venetum, Antwerpiense, Helveticum, Ultrajectinum, &c. dicto balæna cornui per omnia fuerunt similia; uti fuis explicat SACHSIVS dicto libro pag. 83. Ergo verisimile est, ea fossilia, quæ indescripti cornu forma in terræ passim reperiuntur gremio, esse dentes seu cornua illius pisces; de quo infra plura loquemur.

## §. VI.

Iam revertimur, unde digressi sumus, & monendum putamus: per ebur, spodium, ac unicornu fossile, intelligi illa subiecta duriora atque ex albo cinerea, quæ ossibus animantium ex ovo similia, ex profundis terrarum cavernis eruuntur: pressius evum illa describendi, hic nondum locus est. Inserta plerumque sunt terræ limosæ ac arenosæ: & quod natalem locum attinet, illum in multis Europæ regnis reperiri, auctores fide digni prohibent. Cum primis hujus fossilis ferax est, specus ille subterraneus Hercyniæ prope Elbingerodam, quem dicunt die Baumanns Höhle: ubi permulta eboris fossili fragmenta & olim eruta sunt, & adhuc eruuntur: quorum quædam admodum curiosa in Illustris Präsidis Musæo conspicere licet. Conf. etiam GESNERVS de lap figur. pag. 158. NEANDER *Physices* Part. I. pag. 128. FR. IOEL. Pract. T. V. Sect. 3. pag. 139. Effodi quoque ebur nostrum, in Thuringia, testatur LIBAVIVS part. 3. singular. L. 8. C. 17. In Mitria, FABRICIVS annal urb. Misne L. 3. in Hassia SCHROEDER *pharm. med. cibm.* l. 3. c. 4. GESNER l. c. pag. 254. non procul a Spira EISENMEGER tr. de febrib. mal. pag. 36. porro in Suevia, Helvetia, Bohemia, Moravia, Silesia, Franconia, Italia &c. Conf.

Gonf. BAVSCHII *tr. de. Unicorn.* pag. 189 *segg.* Nec Halae Saxonum destituta in suis terræ cavernis, hoc fossili sub-  
jecto est: testante D. D. LERCHIO *in diff. de Orycto-  
graphia Halensi,* quam sub Illustri Præside nostro ventila-  
vit, pag. 41.

Hoc loco peculiaris debetur animadversio, illis  
ossibus, quæ in Siberia reperiuntur, de quibus NOVEL-  
LAE PETRO maximeque adjectæ ipsis epicrises, nos  
certiores faciunt: neque minus in ACTIS SVECIAE  
*Tam. II. anno 1725.* fusi agit. Vberimus ibidem os-  
sium, ex imis montium proventus est, insignisque varie-  
tas, veluti crania, vertebræ, costæ, tibiæ, brachia atque  
dentes &c. tantæ quidem reperiuntur magnitudinis, ut  
Elephantum ossibus valde sint æqua, quin non raro ea  
largissime superent. Pleraque porosa ac friabilia con-  
spiciuntur, præter dentes, quos tantæ duritie inveni-  
unt, ut eadem inde parare possint vasa, quæ verum ebur  
suppeditat. Quin stupenda est magnitudo, dentis cu-  
jusdam, in dictis NOVELLIS de anno 1730. pag. 323. alle-  
gata, qui pondere suo 280 libras superavit; & paullo  
recurvus fuit, sicut & plurimi reliquorum adparue-  
runt.

Néque vero alienum erit, ex iisdem Novellis hic  
repetere opinionem, quam incolæ Siberiæ, de horum  
ossum origine fovent. Putant nimurum, esse quoddam  
animal, Elephanti magnitudine, colore nigrum, binis  
cornibus instructum, quod Mammont dictum, non nisi  
in profundo terrarum commorati posset; quoniam aéri  
expone-

expositum subito periret. Et his deberi ossa prægranda existimant; maxime cum illa vetustate diversa, & plus minus recentia adpareant. Erroneam esse opinionem, quis non videt? Verum Eruditissimus Societatis Petropolitanae Collega, BAYERVS egregie monstravit, ortum hujus fabulae in acceptum ferendum esse, AL-CORANO TVRCARVM, ex cuius 27. *Surata* recenset monstrosum Mahomedis, de bestia, terræ exploratrice, atque sub finem mundi terram egressura, commentum: simul vero ex MSCtis chronicæ Ruthenicæ ostendit, Tartaros olim, Muhamedana religione imbutos, Sibiriam inhabitasse: unde eam traditionem derivat.

## §. IX.

His in parenthesis allegatis, devenimus ad nodosam questionem; num ebur fossile ad animale, <sup>anne minera</sup>le pertineat regnum? Vtraquæ opinio suos invenit Patronos. Sunt enim, qui figura horum subjectorum, ossa animalium exacte referente, convicti, illa ad animale regnum numerare voluerunt; sed dum concipere haud quiverint, unde animalia ad tantam terrarum abyssum devenerint; illa potius ad minerale regnum accensere maluerunt. Habent itaque ebur fossile pro marga, <sup>a</sup> subterranea aqua seu liquore lapidifico soluta, & posthæc evaporata subtiliori materia, in lapideam, friabilem, ossibus uscis similem substantiam coagulata. <sup>sup</sup> Figuras autem tam varias, tamque mirabiles ludentis naturæ beneficio deberi autumant; prout enim marga illa, adhuc mollior, in hanc vel illam terræ cavernulam, seu cavitatem incideret: augeri atque crescere in illa tam diu, quam multo fortior incumbentis terræ esset resistentia,

stentia, atque sic explere suam matricem, ejusque figuram æmulari. Defendunt hanc opinionem BOETIVS A BOOT, OLAVS WORMIVS, BARTHOLINVS, BAVSCHIVS, eamque fusius explicare conatur RHEM *diff. de ebore fossil. Aldorffii Noricorum anno 1682* habita §. 16. Argumento illis sunt variae figuræ, vel vegetabile, vel animale aliquod æquantes, quæ in lapidibus, quos nemo ex animali seu vegetabili regno generatos diceret, insigni arte impressæ non raro deprehenduntur. Quidam igitur, putant, natura sicutans lapides in figura cornuum ac dentium efformare posset; cum illa, teste AGRICOLA *de nat. fossil. Lib. 7. pag. 22* laudes arborum similes procrearet?

GEORG WOLFFG. WEDELIUS, Vir celeberr. Progr. *de ebore fossili*, distinctione quadam sibi consulturus, dividit unicornu fosfile in figuratum, & formam dentis aut oslis cuiusdam distinctius exprimens; & minus figuratum, aut irregulari forma præditum. Prius pro veris animalium osibus, longo tempore ad terram daminatis, omnino habet; alterum vero pro minerali marga, ac vera saxonum medulla, quæ mediae inter boolum & cretam esset naturæ, venditat. Et denique BECHERVS, unicornu fosfile ex aqua sulphurea coagulata generari scribit, *Metallurg. part. I. pag. 5.*

Verum enim vero, juxta nostram sententiam, chymica horum subjectorum analysis, docere nos debet, cujusnam sint prosapiae. Prius vero, quam illam perquiramus, monere juvabit, figuræ vegetabilium ac anima-

nimalium lapidibus impressas, neūtiquam jocantis, ludentisque naturæ certum testimonium præbere; ut potius confirment, vera animalia vel végétabilia, terrarum profundo immissa, earundem auctores fuisse. Qum enim vegetabile, aut animale quodcumque terra obrutum, incidit forsan in materiam tophaceam, mollem adhuc, & perfunditur postea spiritu seu aqua lapidifica: imprimis sua vestigia matrici suæ, ipsum vero vetustate temporis corruptitur. Hæc vocantur incrustata; & differunt a petrefactis, quæ sunt partes animalium seu végétabilium in lapideam revera mutatae substantiam. Illa deprehenduntur in tophaceis; hæc calcariis lapidibus. Neque vero ab ipsis ad ossa, sub eboris fossili nomine reperiunda concludere licet; quippe quæ ad minerale regnum neūtiquam pertinere, eorundem principia, ac alia experimenta confirmant.

Quod si igitur ebur fossile, chymico subjiciamus scrutinio; illud non secus ac alia ossa præbet destillatione sal volatile siccum ac fluidum, & non nihil oleum empyreumatici: ultum dein in occluso nigrescit; aperto igne in albam terram vitrescibilem abit, a qua ternerum sal quoddam fixum cui potest: quod cum nitro mixtum in alcalinum corpus redigi, & cum parca frittæ vitri copia maritatum, in vitrum semi opacum lacteum commutari potest: quemadmodum D. PRÆSES & SAMUEL CARL fusius demonstravit. Jam vero cuncta hæc phænomena, non nisi ad animale regnum adpliri posse, perpetuæ est observationis. Ergo ebur fossile, sobolem esse regni animalis nemo negare poterit. Neque

Neque enim attinet nos , sive sit illud figuratum , sive minus tale : hoc enim olim figuratum esse potuit , & forsan vel temporis vetustate , vel effodentium incuria in plures partes discessum fuit . Interim non negamus , quin dentur non figurata fosilia , vulgo pro ebore fossili venditata ; quae revera mineralis sunt prosapia , & margæ seu medullæ saxorum nomen merentur : verum ebur seu unicornu fossile incongrue dicuntur .

§. XLI. *Quæ cum ita sint , per ebur , spodium , seu unicornu fossile , nihil aliud intelligo , quam ossam , cujuscunque sit , animalis partem , olim intra terras absconditam , & in earum profundis speluncis , continua aquarum evaporatione , philosophice calcinatam . Assentitur huic sententiae HOEHSTETTERVS , dum obseru medicin Det. s. cas. 9. Spodium , inquit , non est metallicum sed ossis cuiusdam portio , siccitate terre exsiccata , sive jam vir elephanti , sive alterius animantis os vel cornu . Et si conferamus affectiones , quæ huic subjecto competunt , eas omnes ita comparatas esse reperiemus , ut ossibus calcinatis adprime convenient . Tales sunt 1) ratione consistentiæ , quod sit subjectum friabile , levi unguium rasuræ obtemperans , & ope mortarii in pulverem facile redigendum , 2) ratione coloris , quod sit album , cinereum , punctis nigris notatum : ossa vero animantium ad albedinem omnino calcinari , notum est : 3) ratione odoris , quod carbonibus injectum , empyreumaticum animalem spireret odorem ; & Baufchius tract . de unicornu fossili , hunc observavit valde gratum , similem ei , quem lac cum amygdalis tritum exhibit : 4) ratione saporis ,*

poris, quod terreum, cretaceumque præbeat, & lignæ adhæscat; & quod 5) denique aquæ immissum cum ipsa ebulliat; 6) quod cum spiritu acido ebulliant: quæ cuncta phœnomena a natura ossis usit, seu calcinati neutiquam aliena sunt.

## §. XIV.

Neque vero dixerim, cuncta ossa, quæ ex terræ latus eruntur, esse semper calcinata: nam dantur etiam petrefacta, quæ vero ad eboris fossilis classem minime pertinere statuo. Præterea calcinationis gradus valde differt: quædam enim adeo friabilia sunt, ut mox manibus conteri queant; quædam vero duriora, ac recentibus fere similia deprehenduntur, ut limæ subjici, ac variis generis vasa inde parari possint. Hæc differentia triplici nititur fundamento: vel enim dependet ab ipsa loci natalis diversitate, vel ipsius ossis varia constitutione, vel denique temporis ratione, prout plus minusve diu os tale a terra sepultum fuit. Sic constat, arenosa loca ad calcinanda ossa esse aptissima; dentesque minus obsecundare calcinationi, quam alia ossa.

## §. XV.

His præmissis, jam succedit determinanda quæstio, cuiusnam animalis sint ossa, sub terris reperiunda? Mea quidem sententia neutiquam ad certum animantis genus restringere licet effossa passim ossa: sed eam variis animalibus propria reperiuntur. Quæ in forma oblongi cornu conspectui se sistunt, vulgo quidem, sed falso Monocerotis terrestri attribui, supra dictum est: plerumque Elephanti ossa ob magnitudinem accusantur; quid? quod vulgus non raro se Gigantum seu Enackim scientia videre credit. Verum certitudo in ejusmodi casibus

bus obtinebitur, ex collatione repertorum ossium, cum descriptione ac sceletis aliorum vivorum animalium. Frequentissima sunt elephantorum ossa: unde quoque nomen eboris originem traxit: Haec cognoscuntur facile, si conferantur cum Anatomia Elephanti, quam Dublini in Hibernia anno 1681. dedit, Anglicoque idiomate publici juris fecit A. MOVLINVS. Ad hujus normam examinavit, totius Sceleti anno 1696 Tonnae in Thuringia effossi figuram, ERNESTVS TENTZELIVS, peculiari epistola, ad Antonium Magliabechium exarata; atque deprehendit, Sceleton illud Elephantico ex ovo fuisse simile. Verum præter Elephanta, aliorum quoque animantium ossa, terræ damnata latere, quis negaverit? Museum rerum naturalium, quod in Orphanotropho Halensi floret, ostendit cornu magnum, bovis Polonici simile; quod integro bovis sceleto, ad albedinem calcinato, & ante aliquot annos in arena prope Hornburgum reperto adhaesit. Non procul quoque ab Hala Saxonum, in pago Vitzthal, erutum aliquando fuisse cornu rupicapræ testatur D. D. LERCHE, in allegata superius diff. pag. 41. De Sceleto alecis Maslae detecto, eruditam relationem scripsit HERMANNVS. Et quod speciatim cornua ista passim effossa attinet: ea, si descriptioni Monocerotis marini, a SÄCHSIO in ejus Monocerologia delineati & Narwhal dicti, convenerint; pro hujus cornu, vel potius dente haberi omnino possunt. Conf. THOMAS BARTHOLINVS tr. de Unicornu, pag. 112. & OLAVS MAGNVS, Sic JOH. SEYFRID medall. memorab. nat. fol. 593. tradit; anno 1663 Quedlinburgi in campo quodam integrum monocerotis sceleton, capite elevato fuisse repertum,

C 3

cujus

cujus fronti cornu plusquam quatuor cubitos longum adhæsit.

### §. XVI.

Intricior vero est disquisitio: unde animantium, nobis plane peregrinorum ossa, ad nostram devenerint terram? HOECHSTETTERVS of. med. dec. V. cas. 9. pag. 671, non naturæ artificio, sed mercatorum aut diligentia aut astu, erui hoc fossile ebur credit. Neque etiam negandum est, quin sèpius impostorū lucro inhiantium versutia fiat, ut os quoddam animantis, arte calcinatum, arenis profundius mandetur; tumque illud erutum, pro naturæ artificio, ac genuino ebore fossili, caro pretio vendatur: quemadmodum id ipsum in specu illo subterraneo, quem die Baumanns Höhle dicunt, factum fuisse, ipse testatur Excellentissimus Praeses. Verum enim vero, exinde in totum, spodii fossilis, natura calcinati existentiam negare velle; repugnat experientiae, qua illud ex profundis terrarum latibulis, ad quæ nemini hominum accessus ferme fuit, erutum esse, non pauci fide digni restantur viri.

### §. XVII.

Quare vero simillimum pluribus eruditorum visum fuit, quod dicta ossa tempore diluvii universalis, sub terra fuerint recondita. Docent nimurum sacræ litteræ, eo tempore non modo totum terrarum orbem undique aquis inundatum fuisse; verum etiam omne terrestrium animantium, quæ Noachus arcæ suæ haud inclusa habuit, genus periisse. Quidni igitur fieri potuit, ut Elephantorum, & aliorum animantium cadavera ex Africa, aliisque remotissimis terris, rapidissimo aqua-

rum fluctuantium impetu, ad Europam, ejusque varias regiones deportata fuerint: quæ vastissima sua magnitudine, defluentibus posthac aquis, terra specifice graviora, huic se profundius immerserunt. Namque terra quidem potuit firmare suum solum, quin & desuper experta fuerit succussions illas, overfa, disiecta, disrupta, quassata; neque enim verba sufficiunt satis ad id exprimentia: & pressione illa duplicata irati aetheris, & rarefactarum, ebullientium, ferocientium aquarum, motus intestinos in visceribus suis, in centro quasi suo, passa horrendissimos, summa imis, ima summis turbata, confusa, diruta, universa, inquit, WEDELIVS Progr. de unicornu fossili pag. 15. Atque sub hoc eodem diluvio factum esse credo, ut monstra marina ad hæc vel illa loca devoluta, exsiccata paululum aqua, ibidem substiterint.

## §. XVIII.

Neque obstat, quo minus credamus, particulares terrarum inundationes antiquissimis temporibus hinc inde factas, iisque varii generis animantia, praesertim indigena, suffocata, ac in profundum præcipitata fuisse. Sed nec inficias iverim, quin ipsi homines consilio animantium cadavera in profundas devolverint cryptas, quæ temporis vetustate arena, terraque adimplera fuerunt. Accedit proximior origo illius eboris ac unicoru fossili, quod in Italia reperitur: siquidem notum est ex Romana historia, Hannibalem olim quam plurimos in Italiam transtulisse Elephantos, qui mortui, ac tandem terræ demandati fuere. Conf. CÆSARPINVS tr. de metallicis Lib. 2. cap. 40. Quicquid vero sit, devenerint hæc fossilia in terram, undeunque velint: latus

JANUARY

satis est, quod pertineant utique ad animale regnum, testante non solum figura, sed & analysi chymica.

§. XIX.

His diductis, specialius consideranda veniunt momenta quædam, quæ circa historiam eboris fosilis, *Hæla Sueorum* eruti notari merentur. Atque primum occurrit cornu illud sic dictum, in templo S. Michaëlis appensum, de quo videndum, quale sit. Ex prosapia monocerotis marini illud esse, refutat hujus descriptio à SACHSIO pag. 70. allegata: siquidem illud recto itinere in acutum decurrit apicem. Nostrum vero cum recurvum paullo sit, videtur referendum esse, ad dentes Elephantinos. Sed deterrire, fateor, ab exacta determinatione, nos posset stupenda illius magnitudo, qua quinque adæquat centenarios. Interim periculum faciemus, an ex scriptorum testimonii, & analogia, huic magnitudini aliquam fidem conciliare queamus? Antiquissima historiarum monumenta, de magnis Elephantis, eorumque dentibus multa litteris confignarunt. ERASMVS FRANCISCI mentionem facit ejusmodi dentis, 150, libras pendentis; & VARTOMANNVS in Sumatra duos vidit, qui appensi 336. libras pendebant. Nec minoris molis illi fuisse debuerunt dentes, quos, testantibus PLINIO, ac POLYBIO in dissitis ac extimis Africæ oris incolæ, postium palorumque loco usurpant. Quamvis enim Elephanti illius, quam tales dentes indicant, magnitudinis nostris temporibus sint rarissimi; quin vix occurrant: forsitan tamen in remotioribus terris, quas nemo nostratum accessit, reperiuntur; aut forsitan antiquissimis temporibus ita reperti fuerunt.

runt. Ceterum & color, & acuminata, recurvaque figura, & cavitas, Cornu Halensis, significant, illud ad Elephantinos dentes esse referendum.

## §. XX.

Quod attinet ea spodii fossilis fragmenta, quæ hodie adhuc circa Halam Sueorum eruntur, cum primis ea, quæ fodina limosa præbet: notari meretur, quod cuncta & ossa calcinata, & petrefacta, tam ligna, quam animalia plerumque deprehendantur, in terra calcarea, argillacea ac arenaria; quoniam hæc, illis subjectis vendis aptissima est. Contra incrustata in terris potissimum tophaceis quiescunt: in Tuff-Stein. Deinceps memorabilis est altitudo loci, unde effuditur: quæ in hac fodina sex virorum longitudinem superat. Observamus enim, hoc fossile subjectum plerumque insigni profunditate sub terra sepeliri. Possidet etiam Illustris Præses, dentem elephantinum recurvum, qui in pago quodam, Esperstedt dicto, haud procul ab Hala Saxonum sito, super lapideis stratis, profunditate vinti quatuor ulnarum ex terra, cum multis aliis osibus, in frusta discisis, fuit repertus.

## §. XXI.

Quæ sub ruinis incendio absumptorum urbis domiciliorum reperta sunt eboris fossilis fragmenta: absque dubio talia fuisse, multa sunt, quæ testantur momenta. Primum limus rubicundus, qui sal nitri, cuius spiritum quidam lapidificum vocant, præbuit, aptus est ad fovenda talia subjecta. Deinceps animalem ejus naturam testantur, friabilitas, color ex albo cinereus, & quod ab Illustri Præside carbonibus injectum,

D

fœto-

fœtorem sparserit animalem. Nec dubium est , quin frustum illud magnum, septem cum dimidio pedes longum , si integrum fuerit, accuratius ostendisset, ad quod animalis genus pertinuerit : de quo tamen justa est suspicio, Elephantis esse dentem, cumpromis, quoniam talis adhuc minor, & reliquis frustis recentior in eodem loco fuit repertus. Ceterum adhuc monere debet, fossile nostrum ubi reperitur, non uni cuidam loco includi, sed late dispergi, claro documento, quod in hisce locis numero plura animantia suum obtinuerint domicilium.

### §. XXII.

Addemus adhuc pauca de usu medico nostri fossiliis: atque primum quædam de unicornu veri virtutibus ex veteribus excerptemus. Hujus enim vim contra venena summam, & fere magicam deprædicarunt, adeo, ut auro pretio æquale olim fuerit estimatum. PHILOSTRATVS LEMNIVS in vita Apollonis Thyanæ L. 3. cap. 1. & AELIANVS Lib. IV. de animal. cap. 52. testantur, Indos ex illis cornibus fecisse pocula, referentes, nullis morbis, nec veneno affici inde bibentes. Vnde Poeta cecinit :

Vnaque in fronte superbè  
Cornu, quod Reges Indorum protinus aureis  
Orbibus includunt, & vina liquevia potant,  
At tum nec morbos uti sentire feruntur,  
Nec que inter menses occulta haufere venena.

Verum sicuti existentia ipsius animalis dubia est : ita vires quoque ipsius cornu nullæ sunt ; & si etiam illud revera

revera existeret, nullam tamen aliam ipsi virtutem attri-  
buere possemus, quam quæ cornu cervi ac ebori re-  
centi inest.

§. XXIII.

Majori fundamento itaque de unicornu fossilis ef-  
fectu medicinali disserere licebit; in quo extollendo  
valde sunt occupati quidam medicorum, dum illud ef-  
fectibus simile pronunciant recenti monocerotis cor-  
nui; cum primis si recens fuerit. Notabilis est histo-  
ria, quam de ea refert PHILIPPVS HOECHSTETTE-  
RVS, cum obs. med. decad. V. casu 9. p. 636. ita scribit:  
Obtulimus duobus canibus æqualis stature, utrique nucis vo-  
micae in lache drachmam unam, uni eorum vero unicornu veri  
rasura paullo post ad grana duodecim in eodem succo; ambo  
convulsi miras sensere contorsiones, a quibus alter, cui cornu  
exhibitum erat, roruit, Et convulsiones leviores sensit, qui  
vivous Et alacer tertio dimissus est die: alter qui flam nucem  
sumvit, multis agitatis convolutionibus, spatio medie horæ  
perire. Postea die, ejusdem cornu vires experti sumus in alio  
cane, cuius convulsio multa, at non lethalis, Et hic sine va-  
mitu convulxit. Ab illo tempore innumera cornua, pro vero  
monocerotis vendita, probæ subjecti, sed frustraneo effectu. Oc.  
Plerumque fossile hoc pro remedio, contra venena,  
febres malignas, pestilentiam, insignissimo venditatur,  
cum primis à vulgo: quare cordi gratum esse, idque  
cum reliquis visceribus laxis roborare, à veneno con-  
firmare, huic adversari, pestem abigere, epilepsiam,  
syncopen, cordisque tremorem persanare dicitur.

§. XXIV.

Verum supra laudatus HOECHSTETTERVS loc.  
D 2 cit.

cir. pag. 635. jam dicit: *Fabulantur de maxima hujus Spodii efficacia, ac si cordis spiritus purificaret, corroboraret, animi deliquio prodesset, malignitati resisteret, & plane eas obtineret vires, quas attribuant cornui monocerotis.* Ego haec spodia, ossa ac cornua ditionibus, & fistic gaudentibus libenter relinquo; fidant iis, quantum & quamdiu liber: mihi cum Cratone cornu cervi placet. Et huic sententia plures medicorum adstipulantur, nostroque fossili cornu cervi, vel os de corde cervi, vel ebur recens substituunt: ut videre est, apud FRANCISCVM DE VERVLAMIO in hist. vit. & mort. pag. 191. JORDANVM de phœnom. pest. tr. 3. c. 9. p. 594. Multi exsiccantem, & adstringentem ebori fossili, maxime quod friabile est, tribuunt virtutem: quare teste BOETIO à BOOT tr. de lap. Egem. cap. 243. ad alvi profluvia, gonorrhœam, fluorrem album, hæmorrhagias nimias, ventriculi ac jecioris laxitatem, vermes enecandos, laudatur; externe ulcera ad cicatrices perducere, ad ambusta & intertriginem prodesse, & in pollinem tenuissimum redactum, & cum lacte oculis instillatum, oculorum lacrymis & lippitudini mederi fertur.

### §. XXV.

Nostra sententia non plane omni usu medico carere hoc subjectum autuniamus; at cum HOFFMANO in Clave ad Schræd. pag. 190. monemus, ut cum eo prius in canibus periculum faciamus; quoniam facile est, ut ab exhalationibus subterraneis, veneni quidpiam secum ducat. Fovet illud substantiam terrestrem tenebriorem, ac salinam: & cum bolis exacte convenit: hinc adstringendi leniter, exsiccandiique virtute pollet;

&amp;

& pulveribus quoque diaphoreticis interne adhibendis,  
aut temperantibus, in nimiis sanguinis & humorum  
profluiis, cum fructu admisceri potest. Quod vero  
eius vim antiepilepticam attinet, de hac multum dubi-  
tamus. Quamvis enim remedia, ex animali regno de-  
sunta, specificam omnino in morbis convulsivis, &  
epilepticis inveteratis possideant vim: attamen crebra  
experientia comperit Illustris Præfes, ea non nisi recen-  
tia hac laude digna esse; nec ullum os calcinatum, eo  
effectu pollere. Profecto, si verum fateri licet, com-  
mode supersedere possimus ebore fossili; & in eius lo-  
cum alia absorbentia, viliora & parabiliora quæ dia-  
phoretica simul pollut virtute, ab animalibus parata,  
& recentia & uita, majori commodo & minori  
pretio substituere pos-  
sumus.



NOBILI

NOBILI ET PRÆCLARE DOCTO  
DNO. CANDIDATO  
PRÆSES.

**E**xquisitiorum rerum naturalium cognitionem non tantum ornare sed & perficere Medicum rationalem, nemo facile nostro tempore, nisi qui pulcherrimo hoc studio destitutus est, in dubium vocabit. Multi sunt, qui naturam tantum per Speculationes & subtiliores de rerum indole ideas cognoscunt & estimant. Alii vero ipse naturae imperare ambiunt; cujus generis sunt, qui res agunt, & naturam rerum corporearum per varios effectus, quos experimenta chymica & mechanica ostendunt, introspicere & explicare laborant, & exquisita phænomenorum, quibus naturae leges continentur, scientia opera divina imitari contendunt. Et tales oportet esse, qui ad interiora sacra artis Medicæ penetrare getiunt. Veteres Medicorum vera scientia physica experimentaliter caruerunt, & neglecta etiam corporis humani philosophia, terminos, non nisi ignorantiae & phantasie fætus, loco verorum conceptuum infelici sydere in doctrinam Medicam introduxerunt. Felicius autem in eo nostrum ævum est, quo per experimenta & inventa tum physica tum anatomica solertissimi viri artem

artem salutarem mirum quantum excollerunt at-  
que illustrarunt. Et relictis abditis, ad exercendam  
artem nibil omnino facientibus, in scientiae formam cor-  
poris humani philosophiam redigere laudatissimo stu-  
dio allaborarunt. Ego itaque vehementer lator, quan-  
do tirones artis nostrae in Academiis studio physico Et  
anatomico imbui video; Quo nomine etiam non pos-  
sum, quin ex animo Tibi Clarissime Dne. Candida-  
te gratuler, cum non modo salutaria, que usui practi-  
co inserviunt, precepta ex ore eruditissimorum in nostra  
Academia Virorum indefesso studio imbibisti: sed Et in-  
super non minori industria rerum physicarum Et cu-  
riosarum notitiam Tibi comparasti: de quo præser-  
tim ego testari possum. Nam cum vires in senectute  
mibi relictas, juvenibus in preclaro hoc studio insti-  
tuendis adhuc impendere solitus sum; lectionibus Tu-  
i stis nunquam non magnò discendi cum ardore inter-  
esse voluisti. Ejusdem Tuae in physicis industria teſtem  
exhibet præsens Tuum inaugurale ſpecimen; quo cu-  
riosam non minus quam utilem de ossibus ſubterraneis  
maxime ebore, ſive elephantis dente, quod hinc inde  
ex lapidicinis eruitur, quale ingentis Et plane mirandæ  
virtutis in Tua patria repertum eſt, materiam per-  
tractare annis es. Plures adhuc quidem ſunt, qui  
hæc animantium oſſa ceu universalis diluvii rudera  
negare audent; at ſine omni fundamento. Quodſi  
exactam

exactam eorum figuræ, materiæ, structuræ, & for-  
mæ cum animantium partibus convenientiam intuea-  
mur, & insuper consideremus, quod igni tradita fœ-  
torem salis volatilis oleosi spargant, & quod grandis  
vitri caustici beneficio, in vitream plane massam  
collipientur; quaæ phænomena, uti a me variis expe-  
rimentis cum unicornu, quod in meo rarithecio conser-  
vo, institutis, observata sunt, tantummodo animalium  
cessibus propria deprehenduntur; de veritate rei, & quod  
dubitandi locus amplius non supersit, satisclare con-  
vincimur. Applaudo itaque merito TUO instituto,  
quod hoc paulo curiosus & subtilius thema evolvere  
in hac dissertatione allaboraveris. Evidet nihil  
habeo, quod magis voveam, nisi ut felicissimis, quos  
per quadriennium Academicum dirigente Divina gra-  
tia ac benedictione in studiis Tuis uberrime expertus  
es, successibus etiam conamina Tua practica secun-  
dentur; ut inde & Tui, & alma patria & miseri-  
ægroti fructus repetere possint exoptatissimos.

Vale Dab. Halæ D. XI. Januar.

MDCCXXXIV.

¶ (o) ¶

VIRO NOBILI AC ERUDITO  
DOMINO CANDIDATO VT  
JOANNI FRIDERICO BEYSCHLAG  
P. P. P.  
D. JO. JVNCKERVS P. P. O.

**C**redulitatis vitium inde ab omni aeo per quam noxiū & ulteriori veritatis indagationi durus quasi obex atque inimicum fuit retinaculum. Vnde apposite satis a Phædro lib. III. dictum: periculosoū est credere. Si in ullo negotio aut scientia vlla periculosoū umquam fuit credere, in Medicina profecto & in primis in materiae Medicæ studio, sine sufficiēte ratione & experientia credere, erit periculosissimum. Detestanda sane est illa fatalis in materia Medica iactantia, qua multa sapissime, que ne externo quidem nitore se commendant, hyperbolicis laudationum lenocinitis nimium mactantur; quo certe nihil efficitur aliud, quam ut credulorum practicorum animi in humani generis perniciem decipientur & ad nocendum seducantur. Etenim si vera essent, quæ de quibusdam simplicibus prædicat vegetabilium encomiastes Plinius, aut ipse etiam Dioscorides, Paracelcus, Thurneisserus, & qui hos admirantur plures, tum aliquot radiculis aut plantis, non morborum modo, sed ipsius plane mortis

E

supe-

superare valeremus impetus. Nam opportune differ-  
tationis TVÆ inauguralis argumentum in memoriam  
reuocat eximias illas laudes, quibus ebur alias or-  
nari, aut verius onerari, solet ab auctoribus. Tan-  
ta enim de illo prædicari audias, ut si dimidia laudatio-  
num pars veritatis niteretur fundamento, imo si mo-  
do vni ex santicis illis morbis bocce remedio mederi  
possemus, in quibus tamquam pharmacum paeonium  
extollitur, præxin omnino felicem & ægrorum nume-  
rum solito longe videremus minorem. Non est in præ-  
senti animus, vanas illas repetere laudes, quas ebo-  
ri & vnicornu fossili scripsérunt Poterius, Crollius,  
Wormius, Königius, Bauschius aliquie, sed unius  
Zacuti Lusitani, qui alias laudem meretur & com-  
mendationem, non possumus, quin adponamus verba.  
Is enim Lib. I. hist. XXIV. fol. 41. tantopere ebur  
dilaudat, vt panaceam reperiſſe credat, qui illo poti-  
tus est, b. m.: De eboris vtilitate, ac pro curandis  
morbis vi mira, veterum & iuniorum plurimi  
multa litteris confignarunt: Illud enim mirifice  
adstringit, roborat, visceraque flaccida confirmat,  
ventriculum debilem tuetur, cordis prodest affe-  
ctionibus, cardiaca vi præditum est eximia, qua  
melancholiā abigit diuturnam, lœtitiam pro-  
vocat, splendidos reddit spiritus, fæminas fæcun-  
dat, & ad concipiendum aptissimas reddit, semen  
vnien.

vniendo; spiritus viuisicos cogit & resolutioni in-  
eptos facit. Alba silit vteri purgamenta, pro  
vermibus necandis optimum, si quod est alte-  
rum auxilium, cum mirum in modum venenis  
venenosisque morbis resistat: quare in præstantis-  
sima venit antidota. Diuturnis optitulatur ob-  
structionibus, menses mouet, & demum cere-  
brum liuemque corroborat, pro cuius morbis  
debellandis, vnicum est propugnaculum. Confer.  
Miscell. Nat. Cur. An. III. obs. 56. p. 144. His er-  
go encomiis citra sua merita oneratur ebur: neque  
parciores sunt in collaudando eboris spiritu passim,  
quamvis speratus effectus tot minus respondeat polli-  
cationibus. TV autem, doctissime Candidate,  
bene agis cum re Medica, dum sobrie philosophando  
de ebore fossili plus efficacie eidem haud tribuisti, quam  
ipsa natura indidit; neque fretus laudationibus, su-  
perioribus saculis de ebore promulgatis, cæca credu-  
litate in illis adquieuisti. Illa enim miracula, quæ ipsi  
adscribuntur ab auctoribus citatis, nostra atas non-  
dum videre potuit. Qua de causa etiam in hoc ne-  
gotio in mentem reuocamus illud Ciceronis effatum,  
qui lib. I. de Officiis prudenter monet: vitandum  
esse, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque  
temere adsentiamus, quod vitium effugere qui  
volet, omnes autem velle debent, adhibebit ad  
consi-

considerandas res & tempus & diligentiam. Ceterum ex animo TIBI gratulor de adipiscendis honoribus Doctoralibus, quibus TE Facultas Medica, tamquam iis oppido dignum, ornare non dubitat; re enim vera laboribus ac indefessa diligentia ad hunc honoris gradum TIBI muniuisti viam. Quas enim docentium audiuit lectiones, priuata meditatione in succum conuertisti, omne tempus ita transigendo, ut transacti TE paenitere possit numquam. Faxit benignissimum numen, ut patriæ studiorum TVORVM uberrimos reddas fructus, ac ubi praxin exercueris, diuina benedictione atque auxilio nusquam destituaris. Vale. Dab. Hal. d. XI. Januar. MDCCXXXIV.

---

**C**Ulmina qui Medici jam jam conscendis olympi,  
Merita & aufers præmia,  
Accipe, que studijs quondam TIBI junctus eodem  
Contubernio canit:  
Sint TIBI, qui merito meriti tribuuntur honores,  
Omen altiorum adhuc;  
Et, quod describis, TIBI fiat ut *unicornus*,  
*Cornu copiae* precor.

*Ita paucis emnia, que bona sunt, NO-*  
*BILISSIMO DNO. CANDI-*  
*DATO, Amico astutissimo, sin-*  
*cere vovet*

**ERNESTUS GOTTHOLD STRUVE,**  
Primislav. Ucaro-March. Med. C.

00 A 6274

**ULB Halle**  
002 913 380


3



56

VDA 8


Rheo





Farbkarte #13

DISSERTATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-MEDICA 26.  
DE  
EBORE FOSSILI SVEVICO HALENSI  
*Quam*  
FAVENTE SVMMO NVMINE  
IN ALMAR REGIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE  
DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
ACADEMIÆ ET FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES LEGITIME IMPETRANDI  
D. 11. Jan. Anni MDCCXXXIV.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
IOANNES FRIDERICVS BEYSCHLAG  
HALA SVEVVS.



Lieber Floto Ridiger delin.  
HALLE MAGDEBURGICÆ, Typ. Jo. Christian Hilligeri, Acad. Typogr.